

logis. Priora enim duo essent admodum miserabilia, pro vi-ginti annorum lucubratore tam belli ingenii. Adhæc *quales fuerint ac sint* leges populorum mundi, ex hoc auctore parum discimus, oportet legere fontes ipsos, historias veterum & novorum, ipsosque eorum legales libros. Tertium de Theologis nihil iuvat auctorem: nam qui animam & spiritum legum considerat & examinat, spiritum hunc extra DEUM certe inveniet nunquam. Dei ergo cognitor & sciens, hoc est, Theologus utcunque esse debet.

Jam ergo accedamus ad paucis examinanda tria principia legum ab auctore proposita: *sive ad examinandam definitionem spiritus legum, quam dedit.*

63. Denique vero nescio an unquam hactenus à Scholasticis, quos isti damnant, edita fuerit tam monstrofa definitio in re tanti momenti, qualis est hæc ab eleganti fane ingenio per annos viginti elaborata?

I.

De Spiritu Legum na- to ex naturalibus Elemen- torum.

64. Quod ad primam classem attinet rerum, ex qui-

bus Auctor Spiritum legum deducit, vel componit, vel nescio quid de eo facit, ea consistit in natura elementorum: nempe in terra, aqua, aëre, sole, glacie, sale, sulphure, pice, pituita, creta, vapore ac nebulis. His rebus debent esse accommodatae leges, & in hac accommodatione consistit spiritus legum. Miseret nos Auctor, qui *Spiritu* legum quærat in *materia*. Agnoscimus proni, per infelicem quandam necessitatem nos constringi, ut istarum rerum *aliquam* habeamus rationem: sed ratio nostra his naturā superior, quantum potest refugit his involvi & subdi. Noster vero auctor in hac subjectione constituens animam legum, ansam præbet in felicibus, ut totos se dedant materialibus. Quis enim non summis viribus contendat materia uti frui, & secundum illam instituere vitam, illi subjicere rationem, si persuasum ipsi sit, animam legum adeoque justitiam consistere in subordinatione ad materiam! Hoc est ipsum, quod Puffendorffius dixerat. Is in commodis hujus vitæ constituit *finem juris*. Auctor noster elegantior *spiritum juris* constituit in iisdem, quæ tamen aliis nominibus vocat.

65. Sta-

65. Statuit auctor: Leges tum in genere tum Politicæ ac civiles hoc est *Ratio humana*, & *casus particulares*, quibus se applicat ratio humana, debent habere relationem ad *Naturam materiale*. Hoc loco Auctor non exponit, *qualis* debeat esse ista relatio, cum possit esse varia. Igitur peccat in leges *de la justice de penser & de parler*. Male solidum ingenium male exponit vane cogitata.

66. Relatio alia est *physica*, alia *moralis*. *Physica* est necessaria, *moralis* est libera. Auctor in ipso exordio libri dixit, *Leyes esse respectus necessarios*. Ergo si posteriora consentiunt prioribus, auctor intelligit semper relationes necessarias *physicas*, non liberas morales. Relationes autem *physicæ*, necessariæ, immutabiles, non sunt in nostro arbitrio, non sunt morales. Totus igitur auctoris liber non est de legibus; quia leges sunt relationes morales. Et quomodo hic liber sit *de spiritu legum*?

67. Relatio moralis alia est *equalitatis* alia *inequalitatis* sive superioritatis & subjectionis. Ratio humana tanquam lex, & casus particulares nationum tanquam lex, qualem habent relationem ad materiam? an æqua-

litatis? Igitur ratio humana contendere libere debet, ut æqualis fiat materia. Igitur non magis ratio imperat materiae, quam materia imperet rationi. Cur ergo rationem potius quam materia dicit legem? Cur non dicit: Lex in genere est materia in tantum quantum premit omnes populos. Leges autem Politicæ & Civiles non sunt nisi materiae particulares, quibus se æquat ratio humana?

68. Videtur autem auctor relationem etiam *superioritatis* constituere, quia dicit: Ratio humana, in quantum gubernat omnes populos, lex est. Sed ad rem deinde cum venitur, sceptrum rationi concessum eripit, traditque nescio quibus casibus particularibus. Omnes populi gubernantur à ratione: sed tamen omnium populorum *Casus particulares* sunt leges politicæ ac civiles populorum; neque rationi humanae, quæ antea populos gubernabat, aliud jam relinquunt, quam ut se populorum casibus, qui leges sunt, denique applicet & accommodet. *Casus* autem *populorum particulares* quid sunt? Nempe alii casus sunt naturales, alii morales. De moralibus dicemus postea. De naturalibus nunc tria verba dicenda. Sunt nempe

nempe casus hi omnium populo-
rum generare & generari, nutri-
ri, edere, bibere, aurâ soleque
vesci, adolescere, dormire, sen-
tire, bilem flavam vel atram in
præcordiis habere, & quæ sunt
alia generis ejusdem. Hæc om-
nia sunt lex omnium populo-
rum, sed non sola, quin adden-
da sunt etiam elementa in quibus
versantur populi. Aër, undæ,
ignes, tellus. Aër particularis,
in quo vivit populus, lex est po-
litica & civilis ejusdem populi,
cui ratio humana se debet ac-
commodare. Igitur aër est lex
omnium populorum, quia non
est populus, qui non vivat in
aëre. Quodsi jam omnes popu-
los gubernat aër tanquam lex,
quomodo ratio humana guber-
nat omnes populos? Aut utra-
que gubernant æquo passu? aut
mutant vices? aut rationis hu-
manæ lex subordinatur legi aëris,
aut lex, quæ est aër subordinatur
rationi? Hoc ultimum non vide-
tur præferre, nec definitio aucto-
ris, nec totus liber, qui semper
contendit, leges *debere* referri ad
materiam, non materiam ad le-
ges seu rationem.

69. Utut sit, nihil hic capio
fani, nihil *spiritus* legum, ubi
materia imperium tenet. Au-
tor in defensione libri sui, quam
nunc demum natus sum, galli-

ce impressam Genevæ an. 1750.
apud Bariliotum, sèpe expro-
brat Censori suo, non esse in-
tellectum suum librum. Haud
dubie vera dicit. Quis enim in-
telligat librum, in quo nihil fere
est, quod cohæreat, sed ingens
propositionum & antithetorum
farago undecunque fine ratio-
cinii modo congregata? ubi ni-
hil definitur, nec accurate divi-
ditur, neque aliquid eorum fit,
quibus ordine cogitantur res at-
que enuntiantur.

70. Vellem ego intelligere,
numquid intersit inter hunc au-
torem & Wolffium. Wolffius
Legum naturæ & Spiritum legum
constituit in *essentia* & *natura hu-
mana ac rerum*, earumque omnium
determinationibus *essentialibus*, a-
deoque in physicis: Hic porro
auctor spiritum legum constituit
in relationibus legum necessariis
ad essentiam rerum. Si eadem,
quæ Wolffius, sentit, quod nos
ob inordinatam ejus tractandi
rationem comprehendere non
potuimus, eadem in illum, quæ
in Wolffium cadunt, nempe,
obligationes tantum physicas, &
spiritum legum physicum, mate-
rialemque ab auctore statui. Sin
aliud opinatur, vellem ita scri-
psisset, ut, quid opinetur, in-
telligere saltem non penitus ru-
des possent.

71. *Naturalia Elementorum* in
universum *Climatis* nomine vo-
cat auctor, & Libro XIV. inci-
pit agere de *Legibus in respectu*
quem habent cum natura climatis.

Atque hunc quidem solum li-
brum debuisset scribere auctor
ceteris omnibus omisssis. Nam
in hoc libro docet, omnia hu-
mana oriri ex climate: igitur suf-
ficiebat *Spiritum legum* constitu-
re in respectu ad *Clima*, hoc
enim facto jam fuissent regulatæ
*Democratia, Aristocracia, Mo-
narchia, educatio, mores publi-
ci atque privati*, quippe quæ
omnia non possunt alia esse,
quam sit *Clima*, cum *Clima sit
eorum omnium causa determinans.*

Si leges idem dicunt, quod
determinavit in homine clima,
superfluæ sunt leges, permittamus
climatì suam vim: clima ef-
ficit mores, efficit voluntates,
quid opus est legibus, quæ ni-
hil efficiunt ipsæ? Imo leges ipsæ
hac ratione sunt *effectus climatis*.
Lex enim est aliqua opinio &
decreta alicujus hominis aut ali-
cujus populi: opiniones &
creta hominum sunt effectus cli-
matis, à climate accipiunt deter-
minationem & formam suam:
quamobrem lex est effectus cli-
matis.

72. Sic vero habet auctor:
aër frigidus stringit extremitates

exteriorum fibrarum nostri cor-
poris, eas addensat, decurat,
fortiores reddit. Igitur in cli-
mate frigido actio cordis & ex-
tremarum fibrarum est fortior ac
melior.

„ Hoc majus robur,
„ inquit, debet producere mul-
„ tos effectus, ex. gr. majorem
„ in semet fiduciam, hoc est
„ majorem animum (*Courage*)
„ majorem cognitionem suæ ex-
„ cellentiæ, hoc est, minus desi-
„ derium vindictæ: majorem
„ opinionem suæ securitatis, hoc
„ est, majorem libertatem, mi-
„ norem suspicionem politicæ &
„ fraudum. Denique hoc de-
„ bet facere *Caracteres animorum*
„ multum differentes: nimirum
differentes à characteribus, qui
gignuntur ex climate temperato
aut calido. Hujus porro rei
non leviculam affert probatio-
nen, sed plane gravissimam ali-
quot dierum experientiam. Ac-
ceperat enim linguam vervecis
exsectam, eamque nunc calori
nunc frigori expositam vidit jam
asperiorem jam magis glabram:
nec simplici oculo hoc vidit, sed
bono microscope sese armavit,
usque ad pervidendum animi
characterem perspicax.

73. Nemo sanus negaverit, cli-
ma *aliquid* conferre ad animorum
habitu: sed portentosum vi-
detur, indiscriminatum cum hoc
D auctore

auctore facere consecutionem hanc: Clima fibras contrahit: ergo debent ex climate produci fiducia, libertas, timor, suspicio cognitiones excellentiae suae &c.

74. Ex bonae logicae ac physicae lege debuisse auctor distinguere causarum genera ac modos. Nervi, gelu, sanguis sunt materia: Animus, cognitio, libertas suspicio non sunt materia. Materia non est causa rei immaterialis: nec res immaterialis est effectus materiae. Male ergo dicit: *robur nervorum debet effectum producere characterem animi.* Elegans auctoris ingenium solitis sibi argutis dictiunculis seductum est, argutiunculis, inquam, bello spiritui convenientibus, quia pulcre sonant, rotunde cadunt, sed fuso hoc detrahe, & re nude considerata inanes sunt folliculi.

Materialia ista afficiunt animum, quia animus *unitus* est materiae, eaque tanquam instrumento utitur ad decreta sua exsequendum. Quemadmodum igitur artifex instrumentis suis aut impeditur aut juvatur, non ex iis oritur & characterem suum intimum acquirit; ita animus non oritur ex materia fibrarum, sed eadem juvatur vel impeditur, subinde parum subinde multum.

Quomodo autem materia afficiat mentem res est plurimum & olim & nunc disputata, adhuc tamen incognita, neque, ut alia multa, necesse hoc est ad legum spiritum deprehendendum, dummodo constet, ab ente summo leges ferente etiam huic unioni, istud pendere.

75. Sophisma igitur *non causa ut causa* auctor pro principio statuit, ex quo reliqua dein ejus tractatio tota sophistica pendet. Error autem in principio, pessimus esse solet in fine. Restat adeo, ut ceteris, que deinceps exsequitur, tanto minus fiduciæ esse possit, tanquam ex turbida lacuna manantibus.

76. Deinde Clima, nervi climate constricti &c.: sunt causa physica, hoc est necessaria, non libera, & semper producunt effectum in subjecto apto. Character autem est effectus climatis; & animus adhuc indifferens, seu charactere nondum effectus, est subiectum aptum. Ergo Clima debet hunc characterem necessario producere in animo. Ex quo sequitur in septentrione nullum dari hominem timidum, nullum suspiciosum, nullum servilis animi. Clima enim frigidum est causa characteris, & est causa necessaria. At vero Itali nos septentrionaliores communiter omnes

nes habent pro suspiciose, fraudes timentibus. Et ipse auctor serviles Russorum animos eodem capite secundo agnoscit, cum tamen in frigido climate natii sint Russi, & ex constrictione nervorum deberent excellentiam suam, ac libertatem agnoscere. Et unde fit, ut sub eodem quidem climate Germaniae fœminæ non fortiantur cutem æque strictam ac mares, non ossa æque dura? Cur non amazones illæ jam sunt Germanis, quæ olim Cimbris, sane truces ac cruda? Fœminæ nostræ non aliud clima habitant, quam nostri viri: & characteris tamen sunt diversi.

77. Sed pergit auctor sophisma suum producere, & consecutionem etiam demonstrare velle.

Probatio ejus prima est hæc:
 „ Pone hominem in aliquo loco
 „ calido & incluso, hic ex rationibus mox dictis maximum de-
 „ liquum cordis patietur. In
 „ hoc articulo jube eum edere
 „ audax aliquod facinus, credi-
 „ derim eum parum ad hoc com-
 „ positum fore: præsens ejus de-
 „ bilitas dejectionem quandam
 „ in animam inducit; omnia pa-
 „ vebit, quia sentiet se nihil va-
 „ lere „. Hæc ille, sed male
 „ excogitata, quamquam pulcris
 „ verbis pronuntiata.

Homo calore seminex non est aptus minocentaurum perimere: ergo clima debet producere characteres animorum. Eadem ratione possem arguere: Injice Herculi vincula; prælo comprome ejus tempora; statue eum in æquore fabuloſo Libyæ ita ut usque ad mentum eodem obrutus sit; sic ornatum jube ab inferis educere cerberum: Parum ad hoc compositum invenies; timebit, quia sentiet se nihil valere. Ergo vincula, prælum, arenæ sunt causa characteris timidi. Si Herculem truncas lacertis, minus etiam erit ad opera grandia idoneus, gladius ergo truncator qui deformavit corpus, formabit characterem animi.

78. Deinde falsum est, in homine balneis oppresso animum propterea alterari cum corpore, æque parum atque ars in Praxitele mutatur, si scalpra ejus rubigine exesa sunt aut obtusa. Dicit enim Praxiteles; si scalpra mea acuta forent, bellum opus exsculperem. Ita etiam dicet ille heros in balneo; si vapores isti non obtunderent corpus, ego profigarem hostem. Hæc intra se cum dicit, quamvis exsequi non possit, characterem animi non mutavit balneum. Hic enim ipse *sensus* est ejus animi character.

79. Dices : uno quidem balneo characterem animi non produci nec mutari, produci tamen continua actione , à nativitate ipsa durante; quemadmodum germina plantarum non producuntur unico adhibito igne, sed multoties redeunte sole.

Respondeo 1. Demus ita esse, sequitur tamen, exemplum, quod pro probatione adduxit auctor, nihil probare de *characteris* animi mutatione per sudatorium tale utpote *unicum*.

R. 2. Climatis actiones continuatae non quidem possunt formare characterem animi, quia hic effectus altior esset sua causa ; sed *instrumenta* animo necessaria longo & frequente insultu climatis obtundi possunt, aut acui.

R. 3. Hoc tamen ipsum tunc solum fit, cum homo ab incunabulis sibi soli velut bestia relinquitur , sine instructione & auctoritate docentium , quæ proprie est illa causa formatrix characteris.

80. R. 4. Præcipue doctrina hujus auctoris apta est ad obtundenda aut nimis acuenda instrumenta animi, atque adeo ad impediendum illum. Quia cum leges deberent curare , ne clima frigidum aut calidum obtundat corruptaque instrumenta, iste auctor contrà præcipit, ut leges

huic climatis actioni corruptrici potius serviant & accommodentur. Sapientes volunt , institutione puerili, ac legum præceptis corrigi, ea quæ à climate possent corrumpi, & pugnam cautam cum elementis fuscipi suadent. Hic auctor omnia servire elementis facit.

81. Non minus impertinens est exemplum alterum. Ait enim, in bello Hispana hereditatis causa gesto populos septentrionales in Austrum ductos non tanta facinora edidisse, quanta eorum cives ediderunt in solo natali. Vult dicere, Australi climate *characterem animi* in nostris Germanis fuisse immutatum. Verum huic auctori parum fortia spectacula sunt Cajeta consensa, Olli us Padusque superati, Verruca tamdiu defensa, Taurinum obsidione maxima liberatum , moxque tentata ipsius Gallie viscera Telonique Martio admotus exercitus, denique tota Italia hostibus armis penitus liberata , ne quid de præliis dicam, in quibus omnibus fere superiores hi septentrionales fuerunt, præ Gal lis & Hispanis similiore Italiam climati utentibus. Si qui vero in his fuere minus felices, id certe non animorum mutationi per clima inductæ sed corporum fatigati adscribendum ; idem artifex

fex manfit, imo in Italia proficit; instrumenta quandoque hebetata fuerunt. Quodsi in Hispania Germani Anglique infeliciores fuerunt, miserum est causas orbi cognitas in climate quærere. Clima non prohibuit Anglos Portu & arce Gibraltaris potiri, nec olim Franciscum Dram cum vetuit diripere Gades, & Americam terrore completere. Omnes historiæ repugnant auctori, omnibus historiis auctor repugnat.

82. Neque felicior est auctor cum in exponenda climatis actione pergit. „ In calidis, inquit, „ regionibus, ubi textura cutis „ laxior est, extremitates nervorum sunt expansæ, & minimo motu objectorum quantumvis debilium excitantur. „ In frigidis locis cutis textura „ stricta est & tubercula commissa, & sensatio ad cerebrum „ usque deferri non potest, nisi „ sit extreme fortis, & totus „ nervus commoveatur.

Romani illi contra senserunt: Germanos enim & Gallos contemnere solebant ob laxam cutem & mollia membra ac sudoribus facile diffluentia : sibi vero existimabant cutem solidam esse, quippe sole deustam exsiccatamque, solidam carnem, solida offa. Solida autem difficilius mo-

ventur. Verum mihi non vacat in hac lite versari, eam totam auctori cum Livio litigandam relinquo. Sufficit ostendisse, non ita certa esse Auctoris principia, sed potius admodum anicipitia , ex quibus tamen de rerum summa decernit.

83. Nam ex cutis & glandularum ac papillarum ejus positio ne in populis borealibus deducit statim omnia quæ ad leges naturales & civiles pertinent velut ex ovo bellum Trojanum. Ait enim: „ Invenies (ex causis prædictis, ut contextus monstrat) „ in „ climatis borealibus populo s, quibus sit parum vitiosum, satis virtutis , multum sinceritatis & libertatis &c.

Veteres nostri Germani non aliud à nobis clima habitarunt. Mutati tamen à pristino multi mores nostri & animorum characteres sunt. Nec climatis, si recte rem teneo , mutatio cutem nostram reddidit molliorem, ut ex cutis mutata textura efficieretur voluptuosiores: nec eadem cutis causa est cur nunc scientiis vident Germani & libros scribant, quos olim contempserant. Sic quod à viginti retro annis mero sese ingurgitandi dedecus inter honestiores Germanos quasi penitus cessavit, debet dicens re

re auctor, in aliud nos clima deportatos esse nescientes.

84. Cuti nimirum climatis vi compressæ debentur inventa Germanorum Typographiæ alia que, quæ vicinis nostris exciderunt, quia aliud, si superis placet, clima habitarunt, aliter cutem afficiens.

Romani ex cute sua exsculpserunt suas illas leges, quas populis deinde aliis imposuerunt, invita licet eorundem cute. Et vicissim Gothi ac Longobardi leges alias sua rursum è cute natas Romanis imposuere, prohibente licet auctore spiritus legum. Nam ex hujus decreto opportebat Langobardos à borea in Italiæ profectos cutem suam exuere & inducere Romanam cumque cute Romana leges etiam Romanas amplecti, suis legibus per sudorem sole Italo provocatum exspirantibus.

85. Deinde spiritus illi legum sive respectus non raro inter se pugnant. Alius enim spiritus est relatio ad clima, qui consistit in cutis textu: alius est spiritus relatio ad populum, cui ita debent esse propriæ leges, quemadmodum auctor docet, ut fieri vix possit, easdem leges alteri populo convenire, aut alteras huic. Longobardi ergo ex Germania magna abeentes secum

portarunt cutem suam & leges ex cute creatas in Sarmatiam primum; tum in Scythiam, inde in Mœsiam & Pannoniam, moraque ibi haud diu tracta cum omni familia ipsisque adeo pecudibus in Italia confederunt de ipsorum nomine hodieum appellata. Sarmatia, Scythia, Pannonia nescio an ejusdem climatis censeantur. Si sunt ejusdem, unde fit ut harum incolæ nunc & olim moribus legibusque diversi sint, cum clima idem eandem omnibus cutem, cutis eadem eosdem animi characteres, iidem animi characteres eosdem mores, leges, rempublicam generent! Si diversa sunt climata, unde fit ut Longobardi in Sarmatia ac Pannonia non exuerint cutem suam, Pannonicam novam induit? maxime cum physicorum opinione singuli homines singulis septenniis non cutem modo novam, sed novum plane corpus saltem quoad partes minus solidas acquirant, vetere paulatim usu detrito, & novo ex ingestione digestioneque alimenti suffetto. Italia cum maxime debebat cutem legesque detrahere Longobardis. At illi leges in Germania, Scythia Pannonia usutantum servatas in Italia etiam scriptis tabulis sanxerunt. Forte id evenit ideo, quia leges Lon-

Longobardis adeo propriæ fuerunt, ut alias non possent recipere? Sed ubi jam manet vis illa climatis ad gignendum animorum Caracterem? Germani nuper in Hispaniam bello illati paucorum annorum demoratione adeo amisere generosum illum characterem, ut nihil magnæ rei præstare potuerint, & si paululum hæsissent ultra, haud dubie ex Auctoris decreto leges patrias omnes ejurassent. Contra Longobardi climate æque diverso nihil obstante & res magnas sane ediderunt, & leges proprias amplius stabiliverunt: nempe quia propriæ ipsis solis fuerunt, & Spiritu legum dictante, esse debuerunt. Proprietas autem illa tanta unde ortum habuit? nempe ex climate cutem Longobardicam in Germania magna texente, quam detexere clima Italicum non potuit. Ita amphibia facit hic auctor principia sua, ut clima modo faciat Servire ad animos, mores, leges immutandas, alias ad easdem quarto, ut ajunt dialectici, modo proprias & incommutabiles faciendas, quantumvis mutata cute.

86. Advertit ea repugnantia auctorem ipsum ejusdem libri XIV. Capite III. Cum enim statuisset, climatis causa Indos esse

admodum timidos, querit, quomodo hoc conciliari possit cum atrocitate Indorum, cum pœnitentiis inhumanis, cum incredibilibus malis, quibus se ibi submittunt viri, cum terribili illo busto, quo conjuges seipſas præcipitant vivas, ut mariti rogum sequantur?

Verum auctor elegans & Mercurialis facile se hinc expediet. Antithetis enim suo more eleganter propositis ardua omnis difficultas velut delibuta cedit. Sic enim ait: „ Natura, quæ de- „ dit his populis infirmitatem, „ unde timidi efficiuntur, eadem „ dedit etiam imaginationem ita „ vivam, ut quidlibet eam mo- „ veat usque ad excessum. Illa „ ipsa teneritas organorum quæ „ ipsos facit timere mortem, „ servit etiam, ut mille alias res „ metuant plus quam ipsam mor- „ tem. Hæc ipsa sensibilitas „ (sive organorum subtilitas) „ fa- „ cit ut omnia pericula fugiant, „ & simul ut omnia pericula con- „ temniant obvii.

Nihil hoc dicto, si à re interrim avertas sensum, elegantius, nihil quod bello spiritui & ingeniò conveniat magis. Posset dictum tam elegans in quovis veterum poëtarum non sine plausu legi, & è latere illius Lucaniae verbi ponì: *Vitrix causa diis placuit,*

placuit, sed vista Catoni. Quid enim ex argutiarum legibus acutius, quam dicere de eodem contraria? Qui præcipius est acuminum fons ad Epigrammata condenda. Videatur *Masenii Ars nova Argutiarum*.

Sensibilitas Summa eadem & timidiſſimos facit Indos & mortis contemptores animoſſimos. Cutis Indorum textura laxiſſima dat illis characterem pavoris, eadem cutis dat characterem audaciæ. Cutis facit metuere, fugere pericula; cutis eadem facit periculis opponere pectus.

Hæc si quidquam valent in Indis cur non valeant in gentibus ceteris? Pari ſane jure dicemus: Clima frigidum quod Boreales facit audaces, idem facit eosdem etiam meticuloſos. Cutis laxa ob calores potest producere characterem animi contrarium climati. Ergo cutis ſtricta ob frigora poterit etiam ipſa producere characterem animi contrarium climati. Quodſi jam cutis Suecorum & Russorum potest alium characterem producere quam qualem petit clima, vaniſſimum fundamentum Spiritus legum posuit auctor in climate. Quomodo enim clima habebo pro regula legum, si climati reſpondent characteres contrarii?

An lex mea contrariorum alterum ſequetur, an utrumque?

87. Denique ſi illa contrarieſtas characterum ab uno eodemque climate in uno eodemque populo nunc reipsa locum habet, nempe in Indis, qui ex eodem climate & timidi ſunt & audaces; legitime inſero, fieri multo facilius poſſe, ut in diſtriictis climata diſteram quoque effectionem habeant. Clima calidum facit Indos audaces & contemptores mortis. Transferamus Indum in Sueciam: hic clima frigidum debet efficere characterem climati calido contrarium, nempe meticuloſum. Et ſi clima calidum Indo eſt cauſa metus, falſum quoque erit, clima frigidum Sueco eſſe cauſam audaciæ. Verbo nulla parte cohaerent utut elegantia auctoris decreta, ſi rem potius quam verba ſpectamus.

88. Non fugit denique auctorem, & vicennali lucubratione deprehendit, diſcultatem hanc ſe non ſolviffe, ſed pulcris tantum verbis obleviſſe: quare mox ſubjugit. „ Quemadmodum bona educatio magis neceſſaria eſt infantibus, quam iis quorum intellectus eſt in ſua matritate, ita populis Climatis hujus (Judici) magis neceſſarius eſt sapiens aliquis legislator,

„ lator, quam populis climatis nostri. Quanto quis facilius ac vehementius mobilis eſt, tanto plus intereſt, ut illi motus convenienti modo fiant, ut præjudicia non admittantur, ut *Rationis* ductui obtemeretur.

Ad hæc imprimis nolo multis exequi quam inaneſ ſint iterum auctoris antithefes & comparationes. Educatio opus eſt infantibus magis, quam intellectu maturis, hoc eſt *jamjam educatis*. Ut ſi dicerem, ſchola opus eſt pueris magis quam doctoribus.

89. Deinde Asiaticos vi climatis comparat infantibus, Europæos maturis: velut ſi Asiaticis animæ minus aliiquid inefſet. Ex lege tamen climatis per auctorem lata ingenium Asiaticis felicius ſit oportet, & Sinenses certe nos potius præ ſe pueros eſſe existimant. Nam ſi tanta eſt climatis potestas, ut animos formet, mutet, characteres ex cute generet, haud dubie aër ſubtilior Asiaticorum animos faciet perſpicaciores, Lapponum vero crassior tales gignet, quales ſunt vervecum in patria. Maile igitur instituta eſt comparatio.

90. Sed miſſis hiſ id unum jam gratulos auctori, quod tandem fenſerit, pugnam ſe principiorum ſuorum componere non poſ-

ſe, & contraria ex iisdem principiis (climatibus nempe) pululantia agnoſcat componi debeare *Ratione*, non climate.

Qualem autem hic intelligit rationem? Si eam intelligit, quæ climate, cute, nervorumque tensione in homine formatur, ut antè dixerat, actum agit & in circulum abit; nam clima, cutis, nervi rationem verſicolorem formant & ancipitem, quæ climati regulam dare non potest, cum hæc diſcrepancia à climate ipſo provenerit.

91. Supereſt igitur ut populi educandi iſtituendique ſint Ratione aliqua & legibus non climati ſujectis, ſed ratione & lege aliqua ſuperiore, quæ climate tanquam ſubditio instrumento utatur. Talis quædam ratio ſi haberi potest, ea hominem juſtum, bonum, ſapientem formabit quocumque ſub cœlo natum, quacunque coniectum cu-te. Quemadmodum ea ratio formavit deformem Aſopum æque ac formosum Achillem; Christinam Sueciæ principem æque ac Corneliam Italam. Hu-mi ſerpere, per Elementa voluntari mortalibus omnibus in omnibus telluris angulis infelix hereditas eſt, quam illis ſolam relinquit auctor, altiorum inanis,

92. Verum auctor mox pergit explicare, quomodo Europaeos Boreales viros dixerit praecalidioribus populis. Inquit enim: „Tempore Romanorum Populi Septentrionales Europae vivebant sine artibus, sine educatione, ac prope sine legge: hi nihilominus ope boni sensus, connexi cum fibris crassioribus climatis, admirabili sapientia se conservarunt liberos à potentia Romanorum ad id usque tempus, quo de silvis suis proruperunt, ad illam destruendam.

Nempe clima crassum sufficit Germanis ad Sapientiam incredibilem, ideo non opus habebant educatione nec legibus: non erant pueri: pro lege & ratione fibræ fuerunt. Romanis contra non suffecere fibræ: equidem & his suffecere fibræ, sed tantum contra Gallos & Brittanos utpote magis meridionales, si superis placet; non autem suffecerent fibræ contra Germanos. Unde vero est, quod Germanis hodiernis clima & fibræ non sufficiant ad incredibilem sapientiam, sed plurimis libris, legibus & educatoribus opus fit? Nempe clima aliud papillas cutis nostræ extraxit, unaque sapientiam.

93. Incipit deinde auctor caput quartum, in quo aperit no-

bis causas, cur Religio, mores, modi vivendi, & leges in Oriente immutabiles sint? Eas causas inquit esse has, debilitatem organorum seu fibrarum, ob quam populi Orientis facile recipiunt impressiones omnium fortissimas. Altera causa est certa quædam pigritia Spiritus naturaliter conjuncta cum desidia corporis, ob quam Spiritus sit incapax ad qualemcumque actionem, conatum aut contentionem. Ex his enim ait sequi, ut anima talis semel conceptam impressionem mutare amplius non possit. Et ob hoc denique in oriente mores eosdem esse hodie, qui ante annos mille fuerant. Idem haud dubie etiam de religione sentit auctor, quam in eadem rubrica nominavit.

94. Mihi vero ea omnia esse falsa plerumque, & procul ab experientia tantum in cerebro nata videntur.

Imprimis Religio, mores, leges in Oriente non magis immutabiles sunt, quam in Occidente. Una grandis mutatio Religionis ab hominum memoria evenit in Occidente, Due omnino in Oriente. Totus Occidens antehac obrutus jacebat Idololatria: accidit post Christi transitum felix mutatio totius Idololatriæ in Religionem Christianam. Contra in Oriente Idololatria pri-

mum

mum conversa est in Christianam religionem, in quæ cum annos fere septingentos stetissent, magnam partem iterum desciverunt, & superstitionem Mahumedis amplexi sunt, quæ superstitione quotidie nostris etiam diebus maiores progressus facit in Oriente versus Chinam, nullos penitus in Occidente. Unde fit visible, immutabiliores esse Occidentales Orientalibus, & auctorem Spiritus legum cum in climate cauas religiosas querit, pro Spiritu sibi finxisse inanes umbras.

95. At enim Japones Christiani incredibilia pati maluerunt quam Religionem Christianam deponere: ergo Orientis populi ex ipso climate sunt immutabiles. Hoc vero simile est huic: Occidentales sub Romanis persecutoribus & sub Wandalis atque Arianis maluerunt extrema pati, quam Christum ejurare: Ergo occidentales in Religione sunt immutabiles ex climate. Quin necesse est hos magis esse immutabiles quam populos Orientis, præcipue quam Japones. Japonum persecutio vix dimidio seculo tenuit, & Christus velut de integro est ejuratus. Occidentis persecutiones Romanæ non in uno solo regno, sed in plerisque tria fere secula duravit, nec potuit populis eripere Christum;

sed cruciabantur, trucidabantur, & multiplicabantur, ut pulcre loquitur Augustinus. Eadem facies persecutionis Wandalicæ fuit & Arianæ, Arabicæ.

96. Objicit nobis auctor, Christianam Religionem in Occidente plures mutationes esse passam, magnas certe, fuit enim tempus, quando Arianum semiratus est orbis terrarum. Alias aliae hæreses, quarum copiosi extant Catalogi, quaquaversum disseminate sunt. Et proavorum nostrorum memoria Occidentem diviserunt Lutheri atque Calvini Sectæ. Igitur Occidentis clima mutabilius climate Orientis.

97. Verum enimvero hæreses illæ veteres omnes, si tres vel quatuor demas, natæ sunt, & radices egerunt in Oriente, & Occidens fere iisdem restitit, easque aut in se non admisit, aut clanculo ingressas paulo post extirpavit, ac denique vires & auctoritatem impedit ad eas etiam in Oriente debellandas. Ex his autem longe contraria auctori inferuntur, nempe constantiores esse Occidentales, & falsam esse causam clima.

98. Quod nostris temporibus duæ sint, quæ se aliquousque diffuderunt, sectæ, equidem docet, mutabiles esse Occidentis popu-